



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 42. Et quidem filius hominis secundum quod definitum est, vadit. v. 22.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

O Deus, auerte obsecro à me tam enormē nequitiam, ne vnquam mortali culpa onustus, & deformatus velim me sumendæ communiōni ingerere, & partem cum Iuda proditore aucupari.

§. 42. *Et quidem filius hominis secundum quod definitum est, vadit. v. 22.*

Dixerat indubie iniquus ille in corde suo: Equidem moriturus est hec-
tus meus, per manus persequentium Iudæorum, & sic parum erit me eun-
dem illis tradere, cum ipse se proxime moriturum affirmet: saltem hoc ad-
nitar vt aliquod inde emolumentum capiamus, & sic non impunè occide-
rint Magistrum. Ita probabiliter cogitante Iuda, eiusdem excusationi re-
pondit; *filius quidem hominis vadit sicut definitum est de illo varijs in locis sacre*
scripturæ & prophetarum, & primo quidem ex parte nostra, qui per eius
passionem liberati sumus. Ioan. 3. oportet exaltari filium hominis, vt omni, qui
credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam, 2. ex parte ipsius Christi qui
per humilitatem passionis meruit gloriam exaltationis. Nonne oportuit
Christum pati, & sic intrare in gloriam suam. 3. ex parte Dei: cuius definitio-
nem circa passionem Christi prænuntiata in scripturis, & præsignata
in obseruantia veteris testamenti oportebat impleri, vnde bene dixit, filius
quidem hominis secundum quod definitum est vadit, scilicet per suam passionem
ad liberandum hominem perditum originali culpa, & personali peccato
grauatum.

Domine Deus, periculosa planè est sapientia carnis, vti videmus in Iu-
da, qui in illius disciplina valde profecerat, sed captus est in astucia
sua. Deus meus, noli obsecro permittere vt me prudentiæ carnis, tibi iu-
micæ dedam.

§. 43. *Veruntamen vā homini illi per quem tradetur. v. 22.*

Licet voluntaria quadam necessitate pergam ad mortem crucis, Pa-
tris mei decretum impleturus, non tamen te ô Iuda cogit, vt me in mortem
tradas. liberum enim tibi manet, id non facere: quare quod facere velis,
mercator pessime, id tuæ culpæ tribuas, & quod sequitur æternum vā
ebibas, necesse erit, nisi in tempore respicias & conuertaris ab iniquo tuo
 proposito, vā æternum conscientie rodentis quod filium Dei morti tradi-
deris; vā cruciatuum infernalium omnium quod Dominum minister ven-
dideris; vā priuationis æternæ, qua visione Dei beatifica carebis quod in-
digne sumpseris panem, & biberis calicem domini, non diiudicans ea. Et
quis explicaret imo quis cogitare poterit inferni dolores, tormenta, cru-
ciamina? Martyrum omnium supplicia, rotæ, catastæ, laminæ igneæ, Equi-
lei